



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Sect. I. Pilatum polulus viget ad decretoriam sententiam pronuntiandam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)

Ecce homo
Pis mē-
tibus sub
te divinā
cōmēn-
datissimū
sit.

Christi re-
sponsum
ad emēn-
dandam
vitam in-
vitans:

1. Hor-
nem arro-
gantem &
fastiosum.

2. Libidi-
nosum,

3. Iracun-
dum & in-
vidum.

Deut. c. 32.
vers. 35.

commendatissimum sit. Dum enim Sacerdos sacrosan-
ctam Eucharistiā monstrat, hoc unā veluti pronun-
tiat: *Ecce homo*, pro nobis infanda passus. Quo quidem
tempore hæc divi Francisci præcatuncula usui esse po-
terit: *Domine Deus, caelestis Pater, respice in faciem Christi
Filii tui, & miserere mei*. Huic oratiunculæ opportunè
addetur cogitatio ista: *Ecce homo*, quàm ego ad istum
hominem infirmus, & nihili homo sum, quàm inflam-
matus & furens libidinibus, quàm non sum Angelus: ò
Pater misericordiarum, *Ecce homo*, ecce tuus Filius, qui
in corde suo omnes homines amore summo comple-
ctitur, respice hunc hominem, & propter ipsum parce
mihi, & da gratiam ad emendandam vitam, & firmam-
dam in bono perseverantiam. Responsum vel à silente
Christo habemus istud.

O homo arrogans & fastuose, *Ecce homo*, aspice qua-
les gemmæ à mucronato hoc ferro defluant, vide ar-
millas meas, funes. En jam secundum per vestem illu-
dor. Sed neque tu cessas vestitu tuo insolenti & ad om-
nem luxum facto illudere mihi. Quæro te, sta juxta
me, & ornatum caput tuum, cum meo, tuas manus,
tuasque vestes cum meis confer, & discrimen maxi-
mum erubescere.

O homo libidinose, *Ecce homo*, quàm turpe ac dissi-
mule tu membrum es sub hoc spinoso, vulnerato capi-
te. Et quamdiu te patiar, ut non præcendam te tam-
quam membrum mortuum? Tu non cessas sub oculis
meis & corpus & animum conspurcare. Non tuas ipse
sordes ac libidines erubescis: Te nunc per sanguinem
meum & tot sanguinis facii rivulos togo, idque hoc
unum, ut antequam carnis appetentiæ satisfacias, &
peccato assentiaris, hæc mea vulnera numeres. Chla-
midem amove, & totum corpus oculis obire poteris.
Num adhuc peccare persistis? Arbitrium tuum non
tollam, sed tu cave poenam.

O homo iracunde & invidie, *Ecce homo*. Tu quàm
primum vel minimum læderis, mox vindictam & ver-
bera meditaris. Numquam facundior es, nullquam
promptior, quàm cum alteri nocendum. Quot enim
vel anno uno cudis fulmina in pectore tuo, quæ jactis
in adversarios tuos linguâ tuâ? Ecce, manibus ligatis sto
ante te, ignis & fulmen in meâ quidem manu sunt, sed
tego & contineo, sileo & dissimulo usque ad tempus.
Tu, obsecro, exemplum meum imitare, teipsum conti-
ne, injurias dissimula, vindictam substringe. *Mea est ultio,
& ego retribuam eis in tempore*.

CAPUT V.

*Christus damnatur mortis à Pilato,
& crucifigendus educitur.*

Christus
prodigum
genus hu-
manum
quæsit
diversis in
locis.

Christus servator orbis oviculam illam errantem,
prodigum & damnatum genus humanum, ad an-
num usque trigessimum quartum sedulo quæsit, idque
locis diversissimis. Principio quidem in stabulo vagum
hoc pecus indagavit. Deinde in Ægyptum abiit, inde
Nazarethum rediit. Hinc progressus, in omnibus pa-
gis, castellis, oppidis, urbibus Judææ & Galilææ ean-
dem aberrantem ovem quæsit. In campos, in solitudi-
nes, in ipsum mare excurrit. Hierosolymis, præsertim
in templo, in domibus, in plateis docuit. Restabat una
rito, sed difficillima in montem Golgotha: imò eo ipso
die sub terrâ etiam in limbo illam quoque errantem
oviculam quæsit, ne quid laboris omitteret, dum in-
veniret, quod tot centuriis annorum fuerat amissum.
Hinc illud Ecclesiæ mætrium: *Quærens me sedisti lassus,
redemisti crucem passus*. Quando igitur Pilatus furibun-
dam plebem sedare non potuit, nec eò persuadere, ut
Christum dimitti liberum vellet, sedens pro tribunali
manus quidem lavit, nihilominus Christum morti ad-

A dixit, & crucis damnavit. Ita Christus, Joanne teste,
*bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvaria lo-
cum; Hebraicè autem Golgotha*. Hæc Christi morientis
mysteria necessariò uberius explicanda, dum ad ipsam
crucem erigendam deveniamus.

§. 1. *Pilatum populus urget ad decretoriam senten-
tiam pronuntiandam.*

Pilatus vaser politicus, & in rem suam sapiens, longè
prudencior Herode, apud Judæos facillè impetra-
turum sese opinatus, ut innocentia Christi diversè pro-
positâ, vellent jubere Christum missum facere; sed
quia furebant hostes, & tumultuosus vocibus reum ad
crucem expetebant, Pilatus aliquantulum his ceden-
dum ratus, hanc apud se rationem inivit: Hunc ego ho-
minem flagellis ita tractavi, curabo, ut vix homini futu-
rus sit similis; mitescere visò spectaculo tam cruento,
nec gravius supplicium urgebunt. Omnia ordine facta.

Christus flagris cæsus, dumis coronatus, perlicuofum
sui spectaculum ex alto præbuit; Pilatus gemitas voces
adjecit: *Ecce homo*. Sed nemo mitescere, nemo Christi
mitesce, furorem nemo ponere, tumultuari magis,
& reum ad crucem postulare. Uti bubali rubro panno
aut sanguine visò magis efferantur, ita illi mugientes ut
tauri, rugientes ut leones contra innocentissimum
agnum exclamârunt universi, *Crucifige eum, Crucifige*.
Quod Christus jam olim quæstus, *Aperuerunt, inquit, su-
per me os suum, sicut leo rapiens & rugiens*.

Homini ignem ferenti parcat leo: hic homo merus
amor, ignis merissimus, sed nihil parant leones isti.
Leo, inquit Cyillus, animal capturus, horrendum rugit,
quo rugitu jam vicinum animal velut exanimatum ter-
rore cadit. Et quomodo horrenda vociferatio ista, Cru-
cifigatur, omnes amicos Christi non exanimavit: Ille-
ne crucifigatur, qui tot ægros sanavit, tot mortuos ad
vitam revocavit? At illi pergunt insanire, *Tolle, clamant,
eum nec in oculis quidem ferre possumus: hæcenus
illum audire noluimus, jam nec videre, nisi in crucem
elatum placet. Gravis est nobis etiam ad videndum, quia
dissimilis est illi vita illius, & immutata via illius*. Hæc di-
cturos Sapientia prædixit.

O furiosè cæci! hæc voces per jugulum vestrum redi-
bunt. Non deertit vobis numerolæ cruces quos velle-
tis, & urbem vestram in cruce sublati crucodietis. Cre-
dibile autem est, ad rabiosas hæc voces ingratisissimi po-
puli, ex oculis Christi, & omnium ejus amicorum, ubere
lacrymas profluisse. Tam horribilis certè hic clamor
fuit, ut eum Amos vates vel eminus ante duo millia an-
norum audiens dixerit: *Va desiderantibus diem Domini: ad
quid eam vobis? dies Domini ista tenebra, & non lux*. Ante
quinque dies clamabatur, *Osanna, Benedictus qui venit in
nomine Domini*. Quàm citò inverla omnia! quàm pra-
vum & mutabile cor humanum!

O beatissime Paule, non ægrè feres utique, si idem
tibi, quod tuo Domino in hac ipsâ urbe contingat; & in
templo tractus rapiaris in castra, catenis geminis ligabe-
ris, maledictis & verberibus oneraberis, sequetur po-
pulus & clamabit, *Tolle eum*. Ut clamores istos æqua-
nimitè præferas, tuus te docet Dominus, qui atrocissi-
mas voces illas, *Crucifige, Tolle*, ingeminari audiat, & pa-
tientissimè tulit.

His improbissimis clamoribus & nostræ nos insante
monemur. Quoties contra Deum & homines rem ne-
fariam molimur; quoties mendacia, juramenta, furta,
libidines, cædes animo agitamus, et si ratio & conscien-
tia contradicant, est tutelaris Angelus & Dei Deca-
logus reclamant, & luculentas leges ingerant: Non dice-
ces falsum testimonium, non pejerabis, non concupi-
sces, non occides, non furaberis, non fornicaberis, non
mæchaberis. Nihilominus hæc leges audacissimè per-
rumpens, & Decalogum velut pugione confodiens
homo

homo temerarius, Crucifige, ait, Crucifige. Quidquid Deus imperet, quidquid veter, hoc mihi facere lubet. Nunc ego aliam non audio legem, nisi appetentia mea. Hanc sequor. Hoc profecto est Filium Dei rursus ad crucem postulare, rursus clamare Crucifigatur, denuo crucifigere. Quam autem hoc pauci, quam nemo mente ferat perpendit? temeritate summam delinquimus. Vera penitentia supra modum rara.

§. II. Pilatus Christum mortis supplicio addicit.

Pilatus igitur in vitam necemque Judex Romanus, cum nihil amplius effugii cerneret, in ipsam Innocentiam ausus est mortis filmen vibrare. Itaque, quod Marcus ait, volens populo satisfacere, dimisit illi Barabam, & tradidit Jesum flagellis caesum ut crucifigeretur. Nam, quod Lucas dixit, adjudicavit fieri petitionem eorum, Jesum vero tradidit voluntati eorum. Hec impiorum voluntas est, in nequitia esse concordēs. Hebraei Pontifices, Scribae, Pharisei, & ea fex hominum consensu maximo in mortem Christi conjurarunt. Quemadmodum vero Judaeos invidia & odium, ita Pilatum timor humanus in necem Christo inferendam impulit. Hac porro lingua, qua Christum infontem dixit, eadem in cruce misit Pilatus. Summa haec in Christum injuria fuit: Christum innocentem, Judaeos invidos non nescivit, eum tamen mortis damnavit. Hominem seditiosum & sicarium absolvit, innoxium caput in manus hostium tradidit, ita orbis iudicem supplicio crucis addidit. Quam quidem in re contra leges etiam Romanas egit. Nam si Tacito & Tranquillo credimus, Senatusconsultum fuit Tiberianum, duodecim ante annis factum, quo jubebatur dicta jam mortis sententia supremum supplicium diebus decem differri, Pilatus nec decem quidem horis distulit. Dictum factum. Vix enim sententia prolata, mox Christo in locum supplicii deferenda crux imposita. Omnibus autem constare poterat hanc iniquissimi iudicii formam vi, tumultu, clamoribus extortam.

Sedit igitur Pilatus pro tribunali. Romano ritu sedendum fuit iudici, quod Ulpianus asserit, alioqui irrita censebatur sententia. Sedit autem in Lithostrotos alto & conspicuo loco, ut sententiam Latino idiomate dictavit a praecone promulgandam. Eam Christianus Adrichomius ex antiquis Annalibus optimam fide descripsit his conceptissimis verbis proponit.

JESUM NAZARENVM SVBVEROREM GENTIS, CONTEMPTOREM CAESARIS, ET FALSVM MESSIAM (VT MAIORVM SVAE GENTIS TESTIMONIO PROBATVM EST) DVCEITE IN COMMVNIS SVPPPLICII LOCVM, ET CVM LVDIBRIO REGIAE MAIESTATIS, IN MEDIO DVORVM LATRONVM CRVCI AFFIGITE. I, LICTOR, EXPEDI CRUCES.

Adrichomio licem non intendo: Ego autem sententiam a Pilato pronuntiatam censeo his verbis:

JESVM NAZARENVM REGEM JVDÆORVM CRVCFIGI IVBEO.

Nam titulus crucis, praefertur solitus cum rei ducerentur, e sententia damnationis describebatur. Atqui ista & ille hic exacte conveniunt. Quam in re Pilatus in suam conscientiam turpissime deliquit, sed humanus timor terribile spectrum, & Caesaris gratia, inconstantem & meticulosum iudicem eo prolapsionis rapuerunt, ut contra fas omne, illum ipsum, quem esse innocentem & agnovit, & dixit, testatus insuper habere se potestatem dimittendi, nihilominus ignominiosissime mortis damnaret.

Castissima Susanna jam mortis damnata, cum duceretur lapidum nimbo necanda, intercessit Daniel, & causa sanctius discussa, jus novum dixit. Cum Christus traheretur ad mortem, nullus adfuit patronorum,

A igneam rhomphaeam nullus strinxit Angelorum, nemo ad iudicem alium appellavit, nemo revocationem causse, nemo iudicii revocationem petiit, nemo se in hujus hominis favorem movit. Innocens Naboth ejicitur urbe; nec eum tueri potest innocentia. Eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt. Sicut autem Christus a Judaeis Praefidi Romano, a Praefide militibus est traditus, ita Deus etiamnum probos, improborum voluntati tradit, cum nec proprio quidem filio pepercit. Sed haec omnia licet acerbissima, qua & filius Jesus est passus, & Jesus mater pertulit, ob unam Patris aeterni voluntatem, fuerunt acceptissima, & summam tranquillitatem animi tolerata. Hoc unicum: Ita Patri placet, ita vult Pater, tam filio quam matri rationum satis & caussarum fuit; quare illa omnia tam infanda patientissime sustinuerunt. Sunt qui dicant, Christum Dominum a Pilato mortis sententiam flexis genibus accepisse. Stans certe ac tacens se capite damnati patientissime audiit. En orbis arbiter, en vivorum ac mortuorum iudex faulem in se sententiam pronuntiari, rei capitalis se damnari permittebat, ipse interim, quod indubitabile, se Patri similem in modum offerebat: Scis, o mi Pater, quod tibi obedierim usque in stabulum ad pecudes, usque in Aegyptum ad barbaras gentes, usque in omnes civitates & vicos Judaeae, quocumque me misisti, voluntati tuae parui. Nunc expectatum tempus adest, quo tibi usque in mortem, & usque in mortem crucis obediam. Paratissimus sum, mi Pater, nec aliud quam crucem exspecto. Hanc feram, quousque tua me voluntas ferre iusserit, in eadem cruce libentissime moriar, quia sanctissimae voluntati tuae ab omni aeternitate sic placitum fuit. Propter te, mi Pater, & Pilato, & omnibus ejus servis obediam. Ab hac obedientia & patientia non recedam, dum omnia de me praedicta & scripta ad extremum apicem complevero.

O Jesus obedientissime, o patientissime Jesus, huic tuae in Patrem paratissimae voluntati conjungo meam, omne Dei iudicium in me factum aequo animo subiturus. Hoc unum te supreme iudex, per hanc ipsam innocentiae tuae damnationem submississime rogo, cum veneris iudicare, noli me condemnare. Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

§. III. Pilatus manus populo inspectante lavat.

Pilatus porro, sententiam licet tulerit injustissimam, ut tamen dilueret culpam, accepta aqua lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justis hujus; vos videritis. Hic Praefes Hebraeorum potius mortem servavit quam Romanum, certe hoc didicit a Judaeis, qui divino jussu, quod Deuteronomium asserit, innocentiae testandae manus laverunt, ut auferrentur ab eis reatus sanguinis. Quo quidem ritu significabant, se factae caedi nequaquam consensisse. Pilatus commonit hujus imitator, omnem injuriam lavandis manibus eluere cogitabat. O Pilate, cor inquinatum, cor lavandum est, cor non manus. Si vel millies manus laveris, linguam tamen a conscientia tam foede dissonam nunquam perpurabis, cor tuum tam inique timidum, tam justitiae refractarium nunquam mundabis, etiam totus in manus tuas oceanus defluat, si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculatus es in iniquitate tua. Nec sapo, nec lixivium hic quidquam facit. Alio hic lavacro est opus. Rex Hebraeus maculatam conscientiam purgaturus, Asperges me, inquit, hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealabor. Hyssopus poenitentiae, & suimet accusatio, scelera commissa expiant. Haec illa caldaria cella, hoc vaporarium sudatorium hypocaustum, hoc nymphaeum illud & balnearium est, quo noxae lavantur, alia certe nec Jordane toto nec Nilo eluenda. Si Opius egerit poenitentiam, ait Ezechiel, ab omnibus peccatis suis, qua operatus est, vivet, & non morietur.

Stridorum statura crucis affigi & mori. Minus probatur. hanc forvitatem. & lapidibus interfecerunt. Sicut autem Christus a Judaeis Praefidi Romano, a Praefide militibus est traditus, ita Deus etiamnum probos, improborum voluntati tradit, cum nec proprio quidem filio pepercit. Sed haec omnia licet acerbissima, qua & filius Jesus est passus, & Jesus mater pertulit, ob unam Patris aeterni voluntatem, fuerunt acceptissima, & summam tranquillitatem animi tolerata. Hoc unicum: Ita Patri placet, ita vult Pater, tam filio quam matri rationum satis & caussarum fuit; quare illa omnia tam infanda patientissime sustinuerunt. Sunt qui dicant, Christum Dominum a Pilato mortis sententiam flexis genibus accepisse. Stans certe ac tacens se capite damnati patientissime audiit. En orbis arbiter, en vivorum ac mortuorum iudex faulem in se sententiam pronuntiari, rei capitalis se damnari permittebat, ipse interim, quod indubitabile, se Patri similem in modum offerebat: Scis, o mi Pater, quod tibi obedierim usque in stabulum ad pecudes, usque in Aegyptum ad barbaras gentes, usque in omnes civitates & vicos Judaeae, quocumque me misisti, voluntati tuae parui. Nunc expectatum tempus adest, quo tibi usque in mortem, & usque in mortem crucis obediam. Paratissimus sum, mi Pater, nec aliud quam crucem exspecto. Hanc feram, quousque tua me voluntas ferre iusserit, in eadem cruce libentissime moriar, quia sanctissimae voluntati tuae ab omni aeternitate sic placitum fuit. Propter te, mi Pater, & Pilato, & omnibus ejus servis obediam. Ab hac obedientia & patientia non recedam, dum omnia de me praedicta & scripta ad extremum apicem complevero.

Omnes Christi & matris ejus afflictiones ob aeterni Patris voluntatem fuerunt acceptissime.

Ecclesiastica verba in 1. No. dnr. Offic. mortuorum. Job cap. 14. vers. 16.

Matt. c. 27. vers. 24.

Deut. c. 21. vers. 6.

Lavatio manuum Pilati injuriam ejus non eluit.

Hier. cap. 2. vers. 22.

Ps. 50. v. 9.

Hyssopus poenitentiae & suimet accusatio, scelera commissa expiant. Ezech. c. 18. vers. 21.

